



DE 20/ 19
SERVITUTE REALI
SIVE STUDIO SIVE INCURIA VASALLI
FEVDO CONTRACTA IN HVIVS
EMTOREM TRANSEVNTTE 1784 5

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

VT SIBI ADITVM

AD

SVM MOS IN IVRE HONORES

APERIAT

IN AVDITORIO MAIORI

DIE X. IVNII MDCCLXXXIV

COLLOQVIVM CVM ERVDITIS HABEBIT

AVCTOR

M. CAROLVS AVGVSTVS CHRISTIANVS

V L I C H I V S

IVRIS CANDIDATVS ET NOTARIVS PVBLICVS

CAESAREVS IMMATICVLATVS.

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHR. DÜRRIL.

DE
SERVITUTE REALI
SIVE STUDIO SIVE INCURIA VASALLI
FENDO CONTRACTA IN HVIVS
IMMORTALI TRANSVITTE

HELVETIARVM ORDINIS AVCTORITATE
VT SUI ADIUT
AD
SVMOS IN IVRE HONORES
APPELLA
IN AVSTRO HONOR
DIE X IANUARIJ MDCCCXXV
COLLEGIUM CIVI ERADITIS HAVIJE
ACTOR
M. CAROLVS AVGVSTVS CHRISTIANVS
VLCHEVS
IN REPERTORIUM ET NOTARIUM
CAROLVS IMMEDIATE

IN TIBURINO
LITTELL CAROLVS CIVI LIBERVS



PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO DOMINO
FRIEDERICO GOTTLOB
A BERLEPSCH
DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN
SENATVS ECCLESIASTICI SVPREMI DRESDENSIS
PRAESIDI
PATRONO SVMMO PIETATIS CVLTV
SVSPICIENDO
HVNC LIBELLVM ACADEMICVM IN DEMISSAE
PIETATIS MONIMENTVM
CONSECRAT
A V C T O R.



BERLIN
FRIEDERICI AC GERTHII
DOMINO DOMINO
FRIEDERICI GOTTLOB
A BERLEPSCHE
DYNASTIAE IN HENNINGEN
SERVATIS REGIASTICIS SVPEREM DRESSENSIS
PRASIDI
PATRONO SYMPO PHTHIS CAVTA
SVSPICIRDO
HANG FRIELVM ACADEMICVM IN DENISSA
PHTHIS MONIMENTVM
CONSERVAT
A V O T O E



PERILLVSTRIS
AC GENEROSISSIME DOMINE
DOMINE INDVLGENTISSIME

Reputanti mihi TVAE gentis et dignitatis splendorem, videtur profecto nimis temerarium, si ignotus homo, qualis ego sum, qui litterarum puluere modo a se excusso, primum veluti in lucem prodit, non adire modo TE et salutare, sed commendare se TVO patrocínio ac benevolentiae nullus dubitauerit. Sciunt tamen omnes, qui TE et TVA, ut studia in bonas litteras, ita merita quoque de earum inter Saxones sedibus, cultoribus atque doctoribus norunt, TIBI in iudicandis ac protegendis iis, qui studiis humanitatis dant operam,
non

*non solam personae conditionem splendidam famae-
que celebritatem, sed studium quoque probari, quo
quis ad maiora in dies de artibus ingeniis merita ad-
spirare conatur. Quo de studio, vere in me posito,
si et ego TIBI non displicuero, impense mihi gra-
tutabor, nihilque magis curabo, quam ut in poste-
rum quoque TIBI hac de causa placeam, precibus-
que salutis TVAE incolumitatem ac perennitatem
a deo consequar enixissimis.*

**PERILLVSTRIS
AC GENEROSISSIME DOMINE,
NOMINI TVO SPLENDIDISSIMO**

*Scripsi Vitebergae
d. 5 Iulii
anni MDCCLXXXIV.*

additissimus cliens

**CAROLVS AVGVSTVS CHRISTIANVS
VLICHIVS.**



De

seruitute reali, siue studio, siue incuria Vasalli feudo
contracta in huius emtorem transeunte.

Non facile iurisperitus erit, quem fugiat, eruditos ve-
hementer in eo inter se dissentire; vtrum vasallo li-
ceat, feudum, cuius vtile tenet dominium, seruitu-
te onerare, neglecto consensu eius, penes quem princeps est
dominium, quod *directum* vocant. Nec negari potest, eam
rem multum habere dubitationis, propter diuersitatem non
modo sententiarum eruditorum, verum etiam legum ciuilium,
hanc doctrinam attinentium, ipsorumque textuum feudalium.
Plurimum autem nostra interest scire, num ex negotio aliquo
ius proueniat ipsi rei inhaerens, quod *reale* dicitur, an mera
obligatio personalis. Illud enim, neglecto plane personarum
respectu, facultatem nobis tribuit, aduersus vnumquemque
rei, quam consequi studemus, possessorem agendi, vt *VLPIA-*



NVS monet in l. 25. 7. de O. et A. ac proinde eos quoque nobis obstringit, qui nulla conuentionis lege tenentur; haec nullam aduersus eos, quibuscum non contraximus, agendi potestatem conciliat. Apparet itaque, non abs re esse, si quis accurate doceat, seruitutem realem a vasallo feudo impositam, veram esse seruitutem, ac proinde in feudi emtorem transire posse. Mihi saltem huius argumenti utilitas adeo arrisit, vt nullus dubitarem, ingenii mei vires, quamuis imbecilles, in explicando eo experiri, praesertim quum intelligerem, non defuisse quidem me longe eruditiores, qui id data opera excuterent, et WERNHERVM quidem in *Sel. Obseru. For. P. I. Obseru. 223.* aduersas partes amplexum esse, SIEGELIVM contra in dissertatione de *vera seruitute a solo vasallo feudo imposita*, meae accessisse sententiae, neminem tamen omnem eius vim ita exhaustisse, vt in eo rectius definiendo tuendoque nihil plane relictum sit alienae industriae. Est autem mihi propositum, in indaganda hac quaestione eiusque decisione, quae partim ex feudali, partim ex ciuili iure petenda est, hunc seruare ordinem: prius quidem iuris feudalis textus proponam, quippe qui in hac doctrina longe maiorem vim et auctoritatem habent, quam Romanae leges ipsae; deinde vero ciuilia cum illis instituta comparabo, quo facilius ad intelligendum sit, vtrum feudali iuri haec accedant, an eius placita omnino improbent.

§. I.

Prius autem, quam de seruitute, feudo accidente agamus, necesse est, vt et feudi, et seruitutis definitiones praemittamus, ne non iniustam incurramus obscuritatis in scribendo commissae reprehensionem. Mittamus tamen reliqua, quae feudorum origines, variasque huius vocabuli significationes
atti-

attinent, vtpote a nostro consilio prorsus aliena. Ea significatio, quae feudi vocabulo veluti propria est, l. f. 4. et ll. 1. §. sciendum habetur, vbi denotat rem ipsam in feudum concessam, et per obiectum, cuius dominium utile alteri sub promissione fidelitatis conceditur, retento dominio directo non incommode describitur. Quae descriptio quum secum ferat, feudum absque dominio, quod antea ab vno integrum tenebatur, in duas partes diuiso, quarum altera dominium *utile*, altera *directum* vocatur, ne cogitari quidem posse, necesse est, vt, quid *directum* sit, quid *utile* dominium, dicamus paullo disertius. Quod *directum* dicitur dominium, vt ego quidem arbitror, commodius negatiue per *partem proprietatis, iure vtendi fruendique destitutam* definiendum est, *utile* vero per illam, *quae cum iure coniuncta est, omne commodum ex feudo percipiendi*. Illud penes eum remanet, qui alteri dicta commoda cedit, isque *dominus* vocatur; hoc *vasallus*, siue is gaudet, in quem percipiendorum commodorum facultas, sub lege intemeratae fidei, suo domino praestandae collata est.

§. 2.

Seruitutem, respectu illius, cui debetur consideratam, praeceunte POMONIO in l. 15. §. 1. π. de seruit. per ius in re aliena constitutum, quo rei illius dominus aliquid pati, aut omittere tenetur, in alterius personae, reive utilitatem definimus. Quae utilitas, cum nunc personae potius, quam praedio, nunc praedio potius, quam personae contingat, duo seruitutum genera constituit, quarum aliae *personales*, aliae *reales* dicuntur l. 1. π. de seruit. Quae praedio inhaerent, ad quemcunque huius possessorem transeunt, siue damno ei sint, siue commodo l. 3. π. quemad. seruit. amitt.; quae autem personae cedunt, huius

A 3

inter



interitu extinguuntur l. 3. §. 3. quemadm. vsufr. amitt. Hoc seruitutum discrimen non quidem ex ipsarum natura ductum esse, sed per accidens nasci, ex variis legibus, vt e l. 14. §. vlt. π. de alim. leg. apparet; iubent tamen leges Romanae, vt ab vtilitate et subiecto dominante aestimentur, realesque dicantur, quae vicini alicuius praediis in alterius praediis ad illorum vtilitatem accedunt l. 1. §. 1. π. comm. praed. personales autem, quae personae alicuius commodis in alterius fundo concedunt.

§. 3.

Ne vero quis falsa ductus opinione existimet, personales seruitutes non debere referri ad species iuris in re, meminerit, nos paullo ante docuisse, hanc diuisionem non ab ipsa seruitutum natura ductam esse, sed a subiecto, cui seruitus concessa est, sicque manifestum est, personalem seruitutem ius reale dicendum esse personae concessum. Has vero seruitutes personales in praesenti libello non curamus, quum tanto minus in dubium vocari possit, quin vasallo liceat, eas alteri concedere, quo certius leges Romanae permittunt, ad tempus eas constitui posse, l. 16. §. 2. π. Fam. ercisc. ac proinde ab eo quoque, qui dominio temporali gaudet. Idem indoli harum seruitutum apprime consentaneum est, quippe quae ita comparatae sunt, vt cum persona, cui concessae fuerant, simul extinguantur. §. 3. I. de vsufr. l. 4. et 56. π. eod.

§. 4.

Possunt autem vtraeque seruitutes modo duplici, vel *agendo*, vel *patiendo* constitui. Iure quidem antiquo merito dubi-

❧ ❧ ❧

dubitabatur, num praescriptio modus esset, seruitutis in alterius praedio obtinendae, cum propterea, quia possessio, a praescriptione nullo modo seiungenda, l. 25. π. de vsurp. et vsuc. in eas non cadit, tum vero etiam, quia in legibus XII. Tabb. vsucapionis rerum incorporalium, cuius generis seruitutes sunt, nulla fit mentio. Insuper vsucapiones seruitutum, a prudentibus sub nouo *quasi possessionis*, id est vsus, nomine introductas, quum veteris iuris principiis non bene responderent, lata lege *Scribonia* protinus sublatas esse, tradit Hein. in Ant. Rom. l. 2. tit. 6. §. 6. Sed nullo modo dubitari potest, quin hodie seruitutes praescriptione et tolli possint, et obtineri, quum Iustinianus in l. vlt. C. de praeser. long. temp. legem paullo ante laudatam aperte sustulerit, et, vt res, quae sensus externos non incurrant, quo iura omnia pertinent, non minus, quam eae, quae sensu externo percipiuntur, praescriptione acquiri possint, sanxerit.

§. 5.

His itaque praemissis, ipsam questionem aggredimur in libelli limine propositam, in qua affirmanda nos minime haesitamus, nimirum: an seruitus realis a vasallo sine consensu domini feudo imposita in emtorem transeat, id est eam vim habeat, vt emtoris quoque sit, eam agnoscere, onusque feudo impositum patienter ferre. Quum vero huius quaestionis decisio ab alia pendeat, vtrum nempe seruitus, a vasallo proprio ausu alii in feudo concessa vera sit seruitus, adeo, vt eius modi concessio ius reale tribuat accipienti alteri, non inutile erit, hanc prius diligenter excutere, et deinde demum alterius veritatem ex illa deducere. In antecessum autem lectores monendi sunt, vt caueant, ne in proposita quaestione diuersa iura
mi-



misceantur. Spectat enim illa nequaquam directum dominum, sed vasallos tantum, seruitutem suis feudis contrahentes, aliosque, qui ab illis vtile feudi dominium quocunque modo adquireunt. Vltimis quidem eiusmodi obesse seruitutem contendimus, salvo tamen iure directi domini. Sancit enim lex feudalis II. F. 8. eius generis seruitutem domino non nocere posse. Idem ipsius vasalli officium exigit, cuius est, domini promouere commoda pro viribus omnibus, ac proinde nihil committere, vnde ipsi domino detrimentum nasci, aut eius iura vel inuito ipso laedi possint. Idem analogiae iuris apprime respondet, vt testatur illud brocardicum: liberalitatem suam nemini nocere debere. Est autem domini vtilis in aliquem collatio vera liberalitas et magnum beneficium, quae etiam causa est, cur antiquis temporibus *beneficii* vocabulo feudum denotari passim in iure legamus II. F. 23. Ex quibus recte doctores inferunt, nullam seruitutem, siue personalis sit, siue realis, ferendam esse, si vasallum ad praestanda seruitia sua minus idoneum reddat, Berg. in El. Disc. For. tit. 39. p. 1204.

§. 6.

Nemo autem rebus ita comparatis sibi persuadeat, seruitutem, quam nos ponimus, naturae iuris realis refragari; liquere enim, feudo ad dominum redeunte, seruitutem talem penitus extingui. Quis enim nescit, neminem, qui ius non, nisi temporale habeat, posse alteri ius perpetuum concedere. Docet hoc sola iuris analogia secundum illud: resolui accipientis ius sublato iure eius, qui id constituat. Sed his adeo accedunt leges, veluti II. F. 8. quae domino securitatem praestant, eumque a tali obligatione eximunt. Quae tamen exemptio a lege praescripta mera est exceptio, qua admissa, non
 puta-



putamus eueri regulam, quae vult: seruitutem a vasallo feudo contractam ad quemuis feudi possessorem transire, qui lege non exemptus sit, quum notissimi iuris sit, exceptione firmari regulam in casibus non exceptis. Patet itaque, vt antea iam diximus, prae ceteris demonstrandum esse hoc: num vasallo liceat seruitutem feudo contrahere, inuito quoque et refragante domino. Adeamus autem primo ius feudale, vt, quid huius conditores de proposita quaestione sentiant, cumprimis liqueat. Habet autem laudatum ius locum, qui, quam nos amplexi sumus sententiam, abunde confirmat, longe planissimum, quem supra iam laudauimus, II. F. 8. quique disertis verbis vasallum idoneum declarat, qui feudum seruitute onerare possit eo effectu, vt seruitus duret, quamdiu huius auctor feudum teneat. Sed iuuat ipsa loci verba apponere, vt lectores omnes de vera eius mente rite iudicare possint. Sunt autem concepta in modum hunc: *Quid ergo, si pretio, vel dolo, aut incuria seruitutem rei beneficiariae imponi patiatur, et ad dominum ex qualibet causa postea beneficium reuertatur? An ex eo domino praecidium generetur, quaesitum fuit? Et responsum est, vt vasallo quidem donec feudum tenet, obesse possit: domino autem, etsi per longa tempora perseverauerit, seruitus minime noceat.* Hanc legem egregie SIEGELIVS in supra memorata disputatione §. VII. interpretatus esse mihi videtur. Docet enim, legem laudatam seruitutis constitutionem probe ab effectu, quem habeat ista seruitus, seiungere, ita quidem, vt in constituenda seruitute vasallus consensu domini plane non indigeat, ratione effectus autem discrimen obseruetur, an feudum ad dominum redierit, an penes vasallum remaneat. Priori casu omnem vim ac efficaciam seruituti tali denegari, posteriori casu eam valere auctoritat.



Sunt tamen, qui existiment, vasallo nequaquam hac lege ius tribui, seruitute feudum onerandi; obflare enim ei legem aliam, II. nimirum F. 55. vbi legimus, vasallo feudi alienationem sub iactura dominii utilis a FRIDERICO imperatore prohiberi, his quidem verbis: *ut nulli liceat feudum totum, vel aliquam partem vendere, vel pignorare, vel quocumque modo distrahere seu alienare, sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* Quibus ex verbis contrariae sententiae patroni argumentum petunt, ex quo constet, vasallum omni potestate exutum esse, seruitute feudum suo arbitrio onerandi; inprimis quum verba, *quocumque modo distrahere aut alienare* indicent, *alienationis* vocabulum ab auctore sensu sumi tam lato, vt omnem actum complectatur, quo quid feudi iuribus detrahi possit. Iam cum seruitute feudo contracta ius feudi procul dubio deterius reddatur, iidem, ad seruitutem quoque legem illam extendi posse arbitrantur, quamuis laudata verba disertam eius mentionem non faciant. Nec negari potest, propositum argumentum magnam veri speciem prae se ferre, si ad legem illam interpretatio locum habeat, quam *extensiuam* vocant, quod tamen nos aduersariis nullo modo concedimus. Lex enim ista, cum prohibitionem contineat, poenali sanctione munitam, procul dubio poenalis appellanda est. Iuris autem doctores vno ore docent, in poenalibus legibus sententiae extensionem seu amplificationem ordinarie non admittendam esse, nisi eam ratio suaserit satis idonea. Quum igitur leges, eae potissimum, quae prohibitioni poenae comminationem addunt, strictae sint interpretationis; neque ad res disertis verbis non expressas trahi debeant, nisi appareat, eandem, aut certe similem legis rationem adesse, quae doceat, ad res quoque disertis

ver-



verbis non expressas eam pertinere; nos quidem non videmus, quomodo lex feudalis supra commemorata ad seruitutem, cuius nullam facit mentionem, extendi queat.

§. 8.

Etenim extensiuus, vt vocatur, interpretatio non potest locum obtinere, nisi ratio intrinseca, id est, finis, quem legislator lege lata intendit, in casum non expressum cadat, pariter ac in eum, qui in lege continetur. Iam cum legis illius ratio nulla alia esse potest, praeter auertendum damnum, reipublicae ex feudorum alienatione oriturum, vti ex ipso illo textu II. F. 55. clare patet, et praecauendum detrimentum, quod dominus directus exinde capere posset, II. F. 8. an ratio haec ad seruitutem quadret, cuius mentionem verba supra dictae legis non faciunt, inquiramus paullo subtilius. Tantum vero abest, vt ratio illa ad seruitutem possit applicari, vt potius ab ea maxime aliena sit. Seruitus namque quam remota sit ab omni, quod domino detrimentum contrahere possit, vel inde facile ad intelligendum est, quod reuerso ad dominum feudo, seruitus, feudo a vasallo contracta prorsus euanescat. Actibus e contrario cunctis, in saepius memorato textu II. F. 55. a Friderico imperatore vasallis interdictis ratio, supra adducta consentanea est, quum venditio feudi eiusdemque pro contracto debito obligatio, potestas denique testamenti de eo pro arbitrio condendi, omnes omnino actus sint domino periculosissimi, quare, vt in laudata lege, ita et alibi eos iure meritoque prohibitos legimus. Ita enim leges feudales, v. c. I. F. 8. in fin. pr. et II. F. 9. §. *donare* vasallis facultatem adimunt vltimae voluntatis condendae, similiter ab oppignoratione abstineant, vtraque lege et feudali et Saxonica

iubentur, II. F. 8. in fin. O. P. R. ad tit. XLVI. §. 3. Igitur, quum aduersus feruitutem, de qua scribimus neque eadem valeat ratio; neque similis reddi possit; nos quidem non videmus, quo pacto sententiae, quam nos defendimus, laudata lex, II. scilicet F. 55. obitare possit. Nam nec feudi iuribus quicquam detrahitur, si eiusmodi feruitus ponatur, quum solius vasalli potestas angustius per eam circumscribatur.

§. 9.

Hanc interpretandi rationem egregie adiuvat ipsa lex feudalis II. F. 9. princ. quae vasallo potestatem facit, feudum *subinfeudandi*, id est *partem domini utilis alteri sub specie domini utilis subalterni dandi, reseruata sibi altera parte sub schemate domini directi subalterni*. Horn. in Ipr. Feud. Cap. XIX. §. XI. Testatur enim laudatus auctor d. l. maximi ingenii eruditos causam huius tam singularis constitutionis in eo positam esse, opinari, quod dominus per hunc actum praedudicium non sentiat. Idque verum est, propterea quod, subfeudo constituto, vasallus ab obligatione non soluitur, qua domino obstrictus erat, quin potius subuasallus domino per vasallum primum iisdem pactis et conditionibus tenetur, quibus hic ipse domino suo obligatus est. Accedit, quod subuasallus domino ad seruitia in subsidium praestanda teneatur, quae causa est, cur II. F. 34. §. *similiter* cautum est, ne subuasallus ad seruitia praestanda minus idoneus eligatur. Quum igitur subinfeudatio, quamuis actus sit, qui veram in se contineat alienationem, peculiari lege permittatur vasallo, etiam non requisito domini consensu, ne obstante quidem pacto de non alienando feudo Horn. cit. loc. quis iure dubitauerit, quin multo magis vasallo liceat, feudo feruitutem imponere, non modo ob rationis paritatem, sed etiam

etiam propterea, quia is, qui maius habet, non potest non habere minus. Nam subinfeudatione dominium in alterum transfertur, et nouum veluti feudum constitui dicitur II. F. 6. §. *beneficium*, seruitutis autem concessione ius reale quidem alteri tribuitur, quod tamen dominio longe est inferius. Exinde facile intellectu est, eorum obiectionem non audiendam esse, qui sibi persuadent, a subinfeudatione, speciali lege concessa, non posse argumentum duci ad seruitutem, ne concludendo quidem a minore ad maius, quum lex, quae subinfeudationem indulget, exceptionem praebet, qua alias firmari regulam, in vulgus notum est. Quum enim seruitus ipsius domini iura non magis, quam actus, quem subinfeudationem dicunt, concernat, quumque potestas ipsius domini partem in alterum transferendi facultatem seruitutis concedendae longe superet; non eadem modo, sed firmiter ratio adest, quae pro seruitutis causa militat. Sequitur itaque, legem de subinfeudatione, quam citauimus, non solum accommodate ad seruitutem extendi, verum pertinere quoque ad eam proxime. Simile argumentum alia lex feudalis suppeditat, scilicet II. F. 9. §. *donare*, quae vasallis permittit, vt possint feudi vsum aliis concedere mediante locatione. Haec quidem, cum inter contractus referenda sit, inferior est iure reali, adeo, vt a permissa locandi facultate ad potestatem, seruitutem constituendi, nullo modo concludi posse videatur. Quum vero leuis conductoris negligentia incuriaque domino quoque detrimentum parere possit, hoc vero damnum ex consensu doctorum accidens reputetur, neque vasallo propterea ius, potestas hunc celebrandi contractum adimatur, non incongrue a minore ad maius argumentabimur: si vasallus actum peragere potest, quo saltem forte laedi posset dominus, multo aequius erit, idem affirmare in re, ex qua nullum omnino damnum sentit dominus.



us. His accedit ratio, cur doctores tradunt, vasallum feudum locare posse; esse enim locationem non alienationem, licet in conductorem possessio transferatur, dum hic non suo, sed locatoris nomine rem teneat, adeoque hic ciuilitate certe continuare possessionem intelligatur. Seruitute autem constituta, ne possessio quidem in alterum transfertur; quare acquisitum erit, ei huius concedendae facultatem concedere, cuius est, locationis contractum ineundi.

§. 10.

Quum igitur planum sit nullique dubitationi obnoxium, quin illa quaestio, *utrum vasallus feudo seruitutem imponere possit*, e lege feudali affirmanda sit; videndum est, num eidem sententiae nostrae lex Romana praesidium ferat. Equidem non negandum est, ius ciuile feudorum esse ignarum. Attamen, quum idem ius diuisionem domini in directum et utile non ignoret, cuius rei in l. 1. §. 1. et si ag. vectig. et l. 1. §. 3. de superfic. non obscura habentur vestigia, non abs re erit, si paullo curiosius inquiramus, num leges ciuiles aliis, quorum est dominium utile, seu minus plenum, eandem tribuant potestatem, quam lege feudali vasallo concessam videmus. Duo autem potissimum negotia in iure ciuili reperiuntur, quibus rei dominium, quod antea vni proprium erat, ita diuiditur, ut alter utile nanciscatur, alter directum retineat, *emphyteusis* nimirum et *superficies*. His dominis utilibus, qui *emphyteuta* et *superficiarius* appellantur, lex Romana permittit, suis praediis seruitutis iugum inferre, a quibus, certe hoc in capite, tuto colligi potest ad vasallum, adeo, ut potestas illis concessa, huic quoque non deneganda sit. Adsunt autem leges Romanae minime dubiae, quae emphyteutae ac superficiario,

rio, ut vocantur, seruitutis constituendae potestatem faciant. Quas inter non ultimo loco poni meretur l. 1. §. ult. π. de super. cuius verba sequentem in modum sunt concepta, *seruitutes quoque praetorio iure constituentur; et ipsae ad exemplum earum, quae ipso iure sunt constitutae, utilibus actionibus petuntur, sed etiam interdictum de his utile competet.* Hac in lege vestigium latet istius seruitutum antiquae diuisionis, vi cuius aliae iure stricto validae habebantur, aliae indigebant praetoris praesidio. Seiungit enim sollicitè *ULPIANVS* in dicta lege ciuiles seruitutes a praetoriis, utrisque tamen eandem vim tribuit, dum ait, has non minus, actionem parere, quam eae, quae iure ciuili seruuantur. Idque placitis vererum iurisconsultorum bene respondet, qui docebant, neminem, nisi pleno ac perenni dominio praeditum, seruitutem constituere posse, quod e l. 4. pr. π. de seruit. clare apparet. Attamen seruitutes iure stricto inuales praetor sua aequitate sustinuit, docente l. 9. §. 1. π. usufr. quemad. Nihil enim refert, *sive iure quis usufructum habeat, sive etiam per tuitionem praetoris:* quae verba sunt *ULPIANI* iurisconsulti. Praeter haec, lex primo loco posita, indulget; actionibus utilibus, ut obtineri possint eius generis seruitutes, quod nemo non de actione confessoria interpretabitur. Quamobrem, cum ex seruitute, quam is, qui minus plenum dominium habet, constituit, ex dictae legis sententia actio realis nascatur, nemo erit, qui veras seruitutes eas appellare dubitauerit. Ex his autem simul apparet, per eiusmodi seruitutis constitutionem in accipientem ius reale deuolui, cum ex hoc solo realis actio proficisci queat.

§. II.

Sed et eorum errori obuiam eundum est, qui sibi persuadent, legem, a nobis in praesidium sententiae nostrae attam,



tam, vlt. scilicet π . de superf. non ad seruitutis concessionem, sed ad solam eiusdem acquisitionem pertinere. Quo interpretandi modo praesertim propterea sibi placent, quod eum credunt legis feudalis sententiae II. F. 8 §. *e contrario* accurate respondere. Vasallum enim ibidem ab omni conatu prohiberi, quo feudi conditio deterior reddatur, seruitute autem imposita feudum in deterius mutari, ac proinde vocabulo constitutionis, in supra allegata lege obuio non seruitutis impositionem, sed acquisitionem significari. Iam in vniuersum quidem negari non potest, vocabula constitutionis et acquisitionis in iure saepe misceri. Sic in textu II. F. 33. manifestum est, ea promiscue vsurpari. Quod etiam in lege ciuili accidit, vbi vtrumque vocabulum modo pro promissione alicuius iuris realis accipitur, vt in §. fin. I. de seruitut. §. 1. I. de vsufr. modo pro ipsius iuris realis acquisitione, quo sensu occurrit in l. 1. §. 1. de Publ. in rem act. l. 13. π . si seru. vind. Tradunt tamen doctores, veram ac planissimam vocabuli constitutionis significationem hanc esse, vt eum spectet, qui aliquid in alterum transferat, acquirere autem ex aduerso eum dici, qui accipiat, quod alter in ipsum transtulerit. Struu. in S. I. F. cap. VII. Quae sententia et communi loquendi vsui bene conuenit, et Hornio quoque in Iurpr. Feud. Cap. XI. §. 1. probatur. Eadem interpretationi non leue adiumentum affert l. 1. pr. π . quemadm. vsufr. amitti huius argumenti: vsusfructus in fundo vectigali, vel superficiario constitutus et traditus capitibus deminutione amittitur, aequae ac is, qui pleno iure ad nos pertinet. Quid enim prodesset emphyteutae, aut superficiario adquisitio vsusfructus in fundis, quorum dominium vtile ad ipsos pertinet, quod ius vtendi fruendique iam sub se comprehendit. Huic nostrae opinioni BERG. quoque in Eh. Disc. For. tit. XXXIX. §. VII. ad stipulatur. Is enim ibi monet, ex ad-

adiectione praepositionis *in* intelligi, *ULPIANVM* in prius dicta lege de impositione seruitutis cogitasse, quoniam non *fundo vectigali* constitutus scripserit, sed *in fundo vectigali*, aut *superficiario*. Neque potuisse eum aliter scribere salva iuris analogia, quum *ususfructus seruitus* sit *personalis*, quae personae quidem in alieno praedio concedi, neutiquam autem praedio acquiri potest. Proinde hoc nullo modo aliter potest intelligi, nisi de eo, qui iure *ususfructus* gaudet in fundo, qui non pleno iure pertinet ad eum, qui huius iuris auctor est, quoniam ille, si capitis deminutionem maximam, aut mediam passus est, mortuus reputatur l. 209. *¶. de R. I. §. 1. I. qu. mod. pat. pot. solu*: Morte enim eius, qui iure utendi fruendique gaudius est, *ususfructus* deletur §. 3. *I. de usufr.*

§. 12.

Ab his legibus, quas ad firmandam rei propositae veritatem adduxi, non longe abit alia, 3. scilicet *C. de seruit. nostramque causam* egregie adiuuat, quia in provinciali praedio seruitutis impositionem admittit. Lex ita comparata est. *Et in provinciali praedio seruitus aquaeductus constitui, vel aliae seruitutes possunt*: Agros provinciales non pleno iure ad eorum possessores pertinuisse, hos potius nihil, praeter dominium quoddam utile habuisse, de ea re erudiunt nos Romanae antiquitates Hein. in *A. R. App. lib. I. §. XCIV. seqq.* Retinuerat namque sibi Romanus populus dominium quoddam eminens, ius autem commoda ex eiusmodi praediis provenientia sibi habendi concesserat aliis, imposito his certo vectigali, ne collati in se beneficii, et retenti domini superioris immemores fierent. His positis, intellectu non difficile est, horum praediorum possessores similis, certe non melioris conditionis fuisse, quam


C sint



sint vasalli hodie. Abstinentum enim iis erat, a praedii provincialis *mancipatione*, id est venditione, ritibus adhibitis lege praescriptis facta, non secus ac nostris vasallis ab alienando feudo. Seruitutis autem imponendae facultatem iisdem possessoribus disertis verbis ALEXANDER imperator in praedicta lege indulget, quamvis non negandum sit, seruitute imposita, tributi causam deteriorem reddi. Quapropter, quum horum praediorum conditio aliquo saltem modo seruitutis constituentis concessione deprauetur, seruitus autem feudo imposita nullo respectu in domini damnum vergat; non absona dicenda erit argumentatio, quae a concessa praediorum provincialium potestate, seruitutis suis praediis imponendae, ad eandem vasallis non denegandam, a minore ad maius facta conclusione ducitur.

§. 13.

Nec desunt tamen leges variae, quae sententiae, a nobis probatae, multum difficultatis asserere videntur, quibusque nonnulli freti sententiam nostrae aduersam animose defendunt. Quarum princeps sine dubio est l. 15. *π.* de usufr. vetans, ne *propriarius*, ut vocatur, seruitutem imponat fundo suo, ne impetrato quidem consensu eius, qui usufructu gaudet. Non est mearum partium, varias doctorum sententias de hac lege copiosa oratione explicare, de quibus videri merentur Boehm. in D. tit. de seruit. §. 5. Horn. in I. F. Cap. X. §. 2. et Leyf. Spec. 107. med. 1. Interim ex hac lege manifesto sequi videtur, eum, penes quem est proprietatis, ad constitutionem seruitutis consensu illius indigere, qui iure gaudet utendi fruendique. Quae si ita vera essent, posset omnino inde inferri in modum hunc: si propriarius in seruitute constituenda usufructuarii consensu opus habet; multo magis dominus


 nus utilis idem facturus domini directi consensum impetrare
 debebit, priusquam valide seruitutes suo fundo imponere pos-
 sit. Cuius dubii resolutio admodum difficilis foret, nisi iu-
 uante lege sequente tolli posset. Ex hac autem apparet, in
 antecedente lege sermonem esse de seruitute tali, ex qua usu-
 fructuario in suo iure exercendo impedimentum inferitur, quae-
 que hanc ob causam huius consensum necessario exigit, quia
 nemini inuito ius, quo quis rite gaudet, auferre licet. Sed
 hoc iecus est in seruitute, quae usufructuarii damnum non
 concernit, cuius constitutionem lex dicta 16. π. de usufr. diser-
 te permittit, vel non requisito usufructuarii consensu. Lique-
 itaque ex his: legem istam, ad quam prouocare contrariae sen-
 tentiae patronis veluti solemne est, re ipsa nobis non obstaré,
 qui nihil aliud contendimus, praeterquam hoc: licere domino
 utili seruitutes in suum suorumque detrimentum constituere,
 illaeso iure eorum, quorum securitati lex lata prospexerit.

§. 14.

Alia obiectio ex iure ciuili depromitur. Vrgent enim
 aduersarii legem vlt. C. de rebus alien. non alien. qua Iustinia-
 nus, quo minus res alienae distrahantur, his disertis verbis pro-
 hibet. *Sancimus non solum domini alienationem, vel mancipiorum
 manumissionem esse prohibendam, sed etiam usufructus dationem, vel
 hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi. Similique modo
 et seruitutes minime imponi, nec emphyteusos contractum.* Quidam
 sibi persuadent, hac lege imperatorem veluti regulam tradi-
 disse, quae praeceptum de iure reali, qualis seruitus sit, in re,
 quae alienandi iure exempta sit, non constituendo contineat,
 siquidem alienatio latius sumpta, quemcunque actum, quo al-
 teri ius reale tribuatur, comprehendat; eam vero in praedicta
 lege



lege tali sensu vsurpari, ipsum sermonis contextum probare. Wernh. P. I. obs. 223. Videtur autem mihi supra laudatus Siegelius in dicta disputatione sua docere optime, seruitutis constitutionem speciem quidem esse alienationis, sed nimis lato sensu sumtae, pro qualibet nimirum *iuris in re* in alterum translatione, a tali autem alienatione iura feudalia vasallum tunc demum, si in praedictum domini directi tendat, abstinere iubere, non vero simpliciter, uti quidem ab alienatione *strictè* dicta, id est quacunque *dominii* translatione. Est praeterea omnis haec obiectio perexigui ponderis ob limitationem, legi nobis oppositae adiectam. Scribit enim laudatus imperator, prohiberi a se, quo minus seruitutes in re aliena imponantur, nisi constitutionum auctoritas tale quid permiserit, id est: nisi contrarium ex lege appareat. Iam vero nobis non deest lex maxime euidens, supra laudata II. F. 8. §. *quid ergo* quae vasallo facultatem tribuit, feudum seruitute onerandi. Sicque manifestum est, etiamsi concedendum sit, feudum vasalli intuitu rem alienam esse, sicque legis prohibitionem contineri, civilem tamen legem nullam omnino vim habere aduersus feudalem, contraria praescribentem, quia in re, quae feudum concernit, civilis sanctio legi feudali contraria, huius vim et auctoritatem infringere nequit.

§. 15.

Videtur itaque propositionis illius, in qua defendenda versamur, veritas satis tuta esse, utpote superstructa multis grauibusque argumentis, ex utroque, non feudali modo, verum etiam Romano iure petitis. Sunt tamen, qui negent, seruitutem temporalem pro vera seruitute habendam esse, utpote vero, eoque primario seruitutis requisito destituta, causa nimi-

nimirum perpetua. Cuius rei probandae causa ad l. 28. π . de S. P. V. quae in seruitutis constitutione causam perpetuam deficeret, prouocant, simulque ex ea inferunt, eum, qui temporaneo dominio gaudeat, non posse seruitutis auctorem fieri; tolli enim extincto eius dominio seruitutem ipsam, ab eo concessam, talique pacto causam perpetuam deficere. Cum qua lege coniungunt aliam, 4. pr. π . de seruit. qua seruitutis constitutio ex tempore, aut ad certum tempus facta dominatur. Sed quod primam exceptionem attinet, egregie mihi fecisse videtur Boehm. in Pand. tit. de seruit. §. 12. Is enim causam perpetuam *naturalem* esse docet, hoc est eam, quae sua natura ita est comparata, ut usum perpetuum praestet. Cui interpretationi ipsa lex obiecta praesidio est, dum prohibet seruitutis aquaeductus concessionem in stagno, vel lacu, hanc solummodo ob causam, quod alterutro horum exsiccato, nulla amplius adsit neque seruitutis causa, neque respectu eius, cui indulta sit seruitus, ea utendi potestas. Ex eadem causa seruitus per foramen aquas euerrendi in praedictae legis principio vera seruitus esse negatur, nisi aqua pluuiatilis concurrat Stryk. in V. M. π . tit. de S. P. V. §. XVIII. Accedit, Leyserum iam docuisse in Med. ad π . sp. 107. med. I. has iuris antiqui subtilitates hodiernis in foris non curari; quin imo eas olim quoque saepe numero fuisse neglectas, testes nobis esse Paulum in l. 9. π . de S. P. R. et Antoninum Imperatorem, quem in l. 2. π . comm. praedior. Ulpianus refert rescriptisse, licet seruitus iure non valuerit, tuendum tamen esse eum, qui hoc ius possederit. Altera lex, quam nobis obiciunt aduersae opinionis fautores, nimirum 4. de seruit. nihil difficultatis habet, si animaduertas, verbis: *ipso quidem iure* ius civile strictum ac civile significari. Legis enim verba posteriora satis clare indicant, temporales seruitutes praetoria aequitate admissas esse, contra



subtilem veterum iurisconsultorum philosophandi rationem; huiusque sententiae Sabinum quoque et Cassium fuisse, Papi- nianus in memorata lege testatur. Denique, si hanc legem cum l. 11. §. 1. π. quemadm. seru. amitt. comparaueris, facile animaduertes, in ista lege prohiberi modo, ne seruituti ex- presse conditio adiiciatur, vt elapso certo spatio finiatur, mi- nime vero eam pertinere ad seruitutem pure constitutam, quae ipso iure, citra pactum adiectum euanescit. Hanc enim de iure consistere, docemur memorata lege 11. §. 1. ff. quemadm. seruit. amitt. his quidem verbis: *haeres, cum legatus esset fundus sub conditione, imposuit ei seruitutes: extinguuntur, si legati conditio existat.* Valebit igitur eiusmodi seruitus ab initio, sin enim secus esset, quomodo posset extingui? Neque tacita conditio, quae huiusmodi seruitutibus inesse videtur, efficere potest, quo minus pure constitutae dici queant, quum expressa so- lummodo noceant, non vero non expressa, l. 195. de R. I. Neque existimandum est, seruitutem, feudo ad dominum re- uerso, vi huius pacti taciti desinere, sed eam potius euanesce- re ob extinctum ius constituentis l. 31. π. de pign. et hyp. Horn. Cap. X. §. 3.

§. 16.

Quum igitur exploratae sit veritatis, legem Romanam vnicique domino minus pleno, seruitutis onus praedio suo imponendi potestatem facere, leges feudales vero illi accedant, nullumque dubium relinquunt, quin ea quaestio: vtrum va- fallus alteri seruitutem in feudo permittere, eaque ei, qui ac- cepit, ius reale tribuat, affirmanda sit; altera quaestio: vtrum emtor feudi eiusmodi seruitutem pati teneatur, per se patet, quia a priore illa omnino pendet. Est enim ea iuris realis in-
doles,



doles, vt neglecto plane personarum respectu aduersus quem-
cunque possessorem agendi potestatem conciliet; nemo autem,
opinor, erit, qui in dubium vocare audeat, num seruitutes
numero specierum iuris in re contineantur. Quamuis autem
huius propositionis veritas ex veritate praecedentis ita pendeat,
vt illa probata, haec non vltius dubitationi sit exposita, ne-
que indigere videatur vltiore probatione ex ipsis legibus deri-
uata; non abs re tamen fore arbitror, si leges, hanc rem attin-
gentes colligantur, quo luculentius appareat, quantum sen-
tentiae, quam veram iudicamus, faueant. Iam quidem nulla
lex feudalis in medium proferri potest, quae hanc quaestionem
controuersam, *num seruitus feudo solius vasalli auctoritate imposita in
feudi emtores transeat*, disertis verbis dirimat. Eo plures tamen
inueniuntur leges ciuiles, quae docent, qualemcunque serui-
tutem, imo et eam, quam constituit is, qui minus plene et
pro tempore tantummodo dominus est, in emtorem illius
fundi deuolui, cui fuerit eiusmodi onus impositum. Neque
existimo, quemquam harum rerum peritum fore, qui statuat,
legem ciuilem ad causas feuda tangentes non pertinere, cum,
silente lege feudali, legem ciuilem ad controuersiam feuda con-
cernentem componendam non inepte aduocari, ipso feudali
textu II. F. 1. clarissime moneamur his quidem verbis: legum
autem Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeo vim
suam extendunt, vt usum vincant aut mores. Traditur his
verbis, leges feudales in quaestione circa feudum leges alienas
auctoritate superare, ita tamen, vt causae controuersae, quae
lege feudali non definita sit, decisio e lege ciuili recte desuma-
tur, quod et in eam rem, quam tractamus cadit, quippe de
qua leges feudales prorsus silent.

Variae autem dantur Romanae leges, quae pro tuenda sententia, quam amplexi sumus, afferri possunt. Etenim primo generatim sancitum legitur in l. 12. π. comm. praed. seruitutes reales omnes, sine discrimine, an urbanis, an rusticis praediis debeantur, pro qualitatibus praediorum haberi, ac proinde ad quoscunque transire horum possessores. Quae cum luculenter doceant laudatae legis verba, ea hic apposuisse iuabit: *cum fundus fundo seruit, vendito quoque fundo, seruitutes sequuntur. Aedificia quoque fundis, et fundi aedificiis eadem conditione seruiunt.* Quae cum lege bene congruit alia, 23. π. de S. P. R. §. 2. Haec enim luculentius adhuc, quam prior illa innuit, seruitutes tanquam praediorum proprietates considerandas esse, ac proinde ad omnes omnino possessores transire. Scribit enim ibi PAVLVVS, *si fundus seruiens, vel is, cui seruitus debetur, publicaretur, utroque casu durant seruitutes: quia cum sua conditione quisque fundus publicaretur.* His accedit GAIIVS, iurisconsulti sententia, quae in l. 19. π. quib. mod. vsufr. vel vs. amitt. continetur, qui dominii mutatione seruitutem expirare negat. Aliarum autem legum similis est sanctio, vti l. 20. de A. R. D. in qua VLPIANVS contendit, vendito fundo, seruitutum vim ac efficaciam non extingui, cuius sententia et POMPONIO in l. 67. π. de contrah. emt. probatur. Quae leges omnes ac singulae hunc sensum habent, nullas omnino seruitutes dominii in alterum translatione deleri, adeoque praedii seruitutibus obnoxii emtorem ad illas agnoscendas teneri. Sed praefertim aliqua est, quae expendatur, l. 3. C. de seruit. qua ALEXANDER imperator aperte planissimeque constituit, eas quoque seruitutes, quae a minus plenis dominis, (quales olim fuerunt, qui praedia prouincialia tenebant, et adhuc sunt, qui ab illis domi-



dominii respectu non longe abeunt, hodierni vasalli) ipsorum fundis impositae sint, in horum emtores transire posse cum eodem onere perferendae seruitutis.

§. 18.

Obuertitur quidem, sed cum exigua veritatis specie, emtorem feudi a seruitute huic inhaerente eam ob causam immunem esse, quod ei non vasallus, sed potius dominus pro domini auctore habendus sit. Siquidem vasalli venditoris sit, vt non tradat modo, quod vendiderit praedium, verum etiam ex praecepto Decif. El. 61. suo sese abdicet dominio, quo possit illud in alterum transferri. Existimant igitur, qui aduersas partes tenent, si feudum, quod resignato dominio vtili ad dominum reuertitur, noua demum concessione, ab eodem domino facta, in feudi emtorem transfertur, non posse non seruitutem ita extingui, vt nullam omnino vim habeat, nisi accedat noua causa, qua illa denuo contrahatur. Sed nullo modo dici potest, emtori feudi dominum auctorem esse, non alienatorem vasallum, quum resignato dominio vtili feudum quidem ad dominum redit, sed non eo effectu, vt perpetuo penes eum remaneat, sed potius eo consilio, vt illud emtori vi antegressae venditionis mediante inuestitura concedatur, quo satisfiat legi Saxonicae, eiusmodi resignationem domini, coram iudice declarandam, simul cum inuestitura et adiudicatione in vendendo omni praedio poscenti, et simul efficiatur, vt emtor omni iure tutus sit. Quumque inuestitura ex parte domini non, nisi antegresso contractu inter emtorem feudi atque vasallum potuisset subsequi, facile intelligitur, causam eam, quam emtor a vasallo habet, merito primariam, quae vero ex parte domini accedit, proximam quidem, sed secundari-

D

dari-



dariam appellandam esse. Addi meretur, dominum, licet per renunciationem domini utilis illud eo momento cum directo coniungatur, tamen actione personali conueniri posse, ad nouam inuestituram peragendam nouumque feudum constituendum, docente Hornio Cap. XI. §. 1. qui et alios laudat, idem sentientes, simulque testatur, ICTos Vitebergenses anno praeteriti seculi nonagesimo primo in hanc sententiam pronunciaffe. His itaque positis, planum omnino est, legem feudalem II. F. 8. nobis frustra opponi. Quod enim ibi dicitur de seruitute extincta, simul ac feudum ad dominum redierit, de eiusmodi reditu debent intelligi, quo dominus dominium utile eo effectu recuperat, vt illud perpetuo retineat. Quod, quum in praesenti longe aliter se habeat, atque dominium utile ad momentum cum directo coniunctum alii iterum concedatur, talique pacto dominus ex seruitute constituta nullum prorsus detrimentum sentire possit; in aprico est, legem allegatam hanc nullo modo tangere quaestionem.

§. 19.

Idem textus II. F. 8. multis, quos recenset Rosenthalius Cap. 9. membr. 1. concl. 11. n. 10. nouae obiectionis extrinsecandae ansam praebuisse videtur. Negant videlicet, dominum, ad quem feudum iure protimiseos aut retractus deuoluitur,



uitur, ad seruitutem a vasallo contractam agnoscendam teneri, licet concedant, extraneum, qui feudum emtionis lege nactus sit, seruitute ab antecessore concessa obstringi. Captatis enim legis paullo ante dictae verbis, *ex qualibet causa*, existimant, sub eiusmodi vniuersali enunciatione nihil non contineri, et exinde inferunt, causam siue titulum emtionis quoque sub laudatis verbis comprehendi. Sed quum causae, quibus feudum domino cedit, duorum generum sint, aliae *communes*, aliae *propriae*, quarum istae in quoscunque cadunt, hae ad solum dominum pertinent, credibile est, sub verbis, *ex qualibet causa*, omnem intelligi, qua feudum ex solo domini directi iure, sine praecedente pactioe ad dominum deuoluitur. Quae interpretandi ratio cum ex verbo *reuertatur*, quod in eadem lege occurrit, multum probabilitatis impetrat, tum tanto minus a vero abhorrere videtur, quanto certius est, nullam rationem afferri posse, quae suadeat, domino hoc in capite magis fauendum esse, quam quidem extraneo. Quae quum ita sint, rectius omnino sentiunt, qui cum Rosenth. d. l. statuunt, dominum quoque, non minus ac alium, loco emtoris esse, atque adeo seruituti praedio adhaerenti obnoxium. Ius enim domino competens nihil in se continet praeter facultatem emtionis contractum impediendi, ne consummetur, praesertim tamen iisdem conditionibus, quas emtor extraneus, cui praeferrere cupit, obtulerit. Quod et in iis obtinet, ad



quos feudum iure retractus peruenit, qui per omnia in locum primi emtoris succedunt, iisdemque, quibus his tenebatur, tenentur conditionibus l. 3. C. de iur. emphyteut. Tandem, si vel non deesset sanctio, qua dominus, feudi emtor, immunitatis ab eiusmodi seruitute praestanda iudicaretur, ea tamen, utpote singularis et a iure communi aberrans, ad emtorem extraneum minime foret extendenda. Constat enim, leges, quae ita comparatae sunt, ut exemptionem a iure communi contineant, ad casus non expressos, non, nisi temere trahi posse.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle

004 335 937



3

f
Sl.





B.I.G.

Farbkarte #13

20/19

1784 5

DE
SERVITUTE REALI
SIVE STUDIO SIVE INCURIA VASALLI
FEVDO CONTRACTA IN HVIUS
EMTOREM TRANSEVNT

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
VT SIBI ADITVM

AD
SVMMOS IN IVRE HONORES

APERIAT
IN AVDITORIO MAIORI

DIE X. IVNII MDCCLXXXIV
COLLOQVIVM CVM ERVDITIS HABEBIT

AVCTOR
M. CAROLVS AVGVSTVS CHRISTIANVS
VLICHIVS

IVRIS CANDIDATVS ET NOTARIVS PVBLICVS
CAESAREVS IMMATICVLATVS.

VITEBERGAE
LITERIS CAROLI CHR. DÜRRIL

